

publica, cuius etiam EVSEBIVS meminit Praep. Euang. Lib. XI. c. 35. p. 562. aliaque, quae ex Heraclide Pontico, Herodoto, Plutarcho et aliis memorat et fusius explicat HVGO GROTIUS L. 2. de ueritate Relig. Christ. u. 7. et in notis suis ad eum locum QVENST. Pars II. p. 1777. Quoniam possiblitas resurrectionis, ut uidimus, adeo clara est, non sine caussa quis miraretur, quomodo mens et ratio quosdam tam longe deserere possit, ut illam ueluti impossibilem respiciant. Athenienses postquam Paulus resurrectionis huius in quadam ad ipsos oratione mentionem inieciſſet, οἱ μὲν ἔχλευαξον, complurimi sannio eundem exceperunt, alii autem dixerunt: *Audiemus te rursus de hac re* Act. XXVII. u. 32. Nec negatio resurrectionis intra Paganorum incredulitatem substitisse, sed in ipsa ecclesiae pomoeria pedem suum promouisse, ostendit B. D. FECHT. in Noct. Christ. Exercitat. XI. §. 2. etc.

§. IV.

Negatio resurrectionis sensui corporeo debetur.

Natales suos peculiari quadam ratione sensui corporeo hic debet error. Cum mente humanâ ita comparatum esse nouimus, ut in prima infantia suae non sit potestatis, sed sensuum externorum ductui omnino subiecta. Hinc iis adeo immergebitur, ut in immaturiori aetate, non sine magna contentione ac labore, illâ concipere queat, quae nec praesentia organa sensoria afficiunt, nec absentia imaginationi sepe sistunt. Cum denique postquam totam malorum cohortem primi homines suis attraxere ceruicibus,